



Kern 228(1-33)



SIMONIS PAVLI HILSCHERI

MEDICINAE DOCTORIS THEORETICES PROFESSORIS PVBL. ORDINARI
SERENISSIMIQVE DVCS SAXO-GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS
CONSILIARII AVLICI

H. T.
FACVLTATIS MEDICAE DECANI

P R O G R A M M A

DE

VERIS INSALVBRITATE
ET SALVBRITATE IN GENERE

PVBLICAE INVITATIONI

AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DE

PERIPNEVMONIA EX NIMIO
AERIS REFRIGERIO

D. X. MAII MDCCXXXVIII. HABENDAM
PRAEMISSVM.

IENAE D. IV. MAII M DCC XXXVIII.

LITTERIS RITTERIANIS.



EMONIS PAVLII SCHEER
TAVITATIS MEDICAE
T R O G K A M M A
VERIS INSAI VIRTUTE
FESTI VIRTUTE DUM
D I S S E R T A T I O N E
P E R I T I O N E V I R T U T E
A L I S R E P E R T I O
D E M A N N H I M P E R I O
P I N E L L I S P E R I T I O N E





VER secundum Astronomorum calculum & sententiam in plaga nostra temperata istud constituere tempus, quam primum sol in Zodiaco signum arietis contigit, atque hinc tum hoc, tum tauri geminorumque signa percurrendo ad cancrum pervenit, adeoque id ipsum a vigesimo Martii die, ceu æquinoctio vernali, incipere, & ad diem Iunii vigesimum primum, ceu solstitium æstivum vsque, perdurare, res est, quæ magnæ vulgi portioni, nedum eruditis, satis cognita atque perspecta est.

Cum igitur vernale tempus tria mensium spatia emetiatur, iuxta quæ cæli ac tempestatum genius admodum variare solet, mirandum non est, si etiam ver pro diversa tempestatum ratione & infalubre & salubre prædicetur. Enimvero ultima Martii portione, atque Aprili mense ultra ipsius medium, tempestas fere semper varia atque multiplex esse solet, ita quidem, ut sol radiis suis horizonti nostro mox suavissime abblandiatur, & jucundum quendam caloris sensum corporibus sublunariibus imprimat, mox vero ille iterum occultetur, qua tristi vicissitudine solisque absentia molestum oritur frigus, & non raro nives ac grandines in terram sparguntur. Dum igitur humores serosi in corporibus humanis cælo calidiori liquati quasi magis, fortius paulo ad varia excretoria porosque cutis propelluntur, hi autem a rigidiori aeris inclementia, mox sequente, occluduntur, aliter fieri non potest, quin lymphæ hinc inde subeat stases atque serum cum quisquiliis salino-sulphureis, quod per cutim exhalare debebat, reprimatur, a quibus hinc humoribus qualitate diuersimoda peccantibus retropulsis at in motu vitiatis, & prout hæc vel ista viscera occupare magis, admodum varii oboriri solent affectus præternaturales, & potissimum gravedines, rheumatismi,



tusses, raucitates, febresque varia naturæ, diversique moris. Atque eandem de dicta veris parte, ceu infalubriori, sententiam nobiscum fovet *b. ac illustris* WEDELIVS, ubi pro more suo doctissime in aphorismum XX. sect. III. Hippocratis, quo morbi vernaes recensentur, commentatus scribit: *Morbi hi magis de initio vel medio, quam sine veris intelligendi sunt & valent.*

Quam maxime porro vernale tempus & infalubre & salubre dicendum est respectu diversitatis hominum, ceu subjectorum, & sanitatis & morborum capacium. Hinc videas alios homines hac anni parte saluberrime viventes, alios contra cum morbis conflictantes, & non adeo paucos diem obeuntes supremum. Nam homines, puros intra vasa custodientes humores vel admodum parum vitiosos, alacri atque bona fruuntur hoc anni spatio valetudine, ac vires corporis animique augmentum capere sentiunt, cum ob aerem temperatiorem ac moderate elasticum in dies fientem vegetior humorum & spirituum laudabilium eveniat motus, non nihil vitiosorum vero, ac in parva tantum quantitate delinquentium, blanda evacuatio, cum naturæ ἐνφορία contingens. Ii contra homines, qui succorum impuriorum, tam in primis viis, quam ipsis vasibus stabulantium, diversoque gradu peccantium, magna laborant mole, ii facile tempore vernali in varios, eosque sæpe admodum graves & periculosos incidunt morbos, hocque eo certius evenire observamus, si verna tempestas multum humida cum acriori intermixto aeris æstu fuerit. Eninvero cum nostra Ma Sea etiam de aere atmospherico non adeo parum participet; hic ipse subtilior, mobilior & expansivus factus etiam eandem vegetius movet & expandit, quare, cordis omniumque vasorum ac tubulorum fibris acrius paulo sollicitatis, humores fortius a corporis centro ad circumferentiam & articulos propelluntur, atque ad hæc loca impuritatum variarum fit despumatio, deposti-

tio



tio & sæpe cum salute, aliquando minus, excretio. Atque hæc est causa, quod inter morbos vernaes, i. e. hoc anni tempore facilius existentes & ingravescentes, frequentes sint exanthematici & articulos occupantes, ut scabies varii gradus, variolæ, morbilli, febres purpuratæ & petechiales, articularumque dolores; nec non ii, qui magnam succorum vitalium & spirituum diversimode impuriorum perturbationem ac commotionem pro fundamento habent, ut infantiæ, melancholiæ, epilepsiæ, sanguinisque profluvia: quos affectus magnam partem complexus est *Senex noster aphorismo supra laudato*.

Porro ex hæctenus dictis, nobis vel tacentibus, patet, morbos vernaes alios salubres, alios periculosos, quosdam vero non raro plane lethales existere. Etenim gravedines, tusses simplices, raucitates, scabies, sanguinis profluvia e naribus, febres intermittentes, variolæ benignæ, hujusque indolis morbilli bene cedunt, iisque massâ sanguinea a varia quisquiliarum sarcina liberatur; febres contra intensius paulo putridæ, qualibus sæpe stipatæ sunt variolæ, pleuritides, gravius se cum gerunt periculum; omnium autem periculosissimæ sunt malignæ dictæ, & ex his præsertim purpura alba & febres petechiales, quæ facile humoribus vitalibus resolutionem putredinosam incorrigibilem inferunt, adeoque non paucos homines vernali etiam quandoque tempore extinguunt.

Hiscæ huc usque propositis, rite & prout par est, pensitatis, unusquisque attentus lector facile cognoscere poterit scriptionem nostram non impingere contra principium cognoscendi generale: *Impossibile est, idem simul esse & non esse*: cum, nervose monente *summe reuerendo Dn. D. IO. IACOBO STRBIO, in institutionibus philosophiæ rationalis eclecticæ p. 400.* ad contradictionem veram requirantur termini eodem significato & eodem respectu sibi oppositi: id quod vero a nobis factum non est. Nam primo ver prædicatur tantum infalubre quoad primam



& mediam sui potissimum partem, non vero respectu reliquæ portionis; atque secundo in comparatione subjectorum. Alii enim idem est infalubre, aliis salubre.

Cogitata hæc fuere occasione Disputationis inauguralis clarissimi & dignissimi Medicinæ Doctorandi,

CHRISTOPHORI FRIDER. ALKOFERI.

De cuius vitæ ortu, progressu atque studiis quædam publice nota facere, mos laudabilis poscit. Natus est Ratisbonæ, urbe imperiali libera & ob comitia imperii, quæ ibi celebrantur, summe inclyta, die 30. Martii anno 1714. quo Divino Numini hanc urbem a dira peste liberare placuit, patre viro maxime reverendo, ERASMO SIGISMUNDO ALKOFERO, venerandi ministerii Ratisbonensis Seniore & Consistorii Assessore meritissimo, olim vero pastore apud Dorrenburgenses vigilantissimo, anno 1728. beate defuncto; matre, adhuc superstite, SVSANNA ROSINA, matrona omnibus sexus feminei virtutibus ornatissima, atque Pastoris & Adjuncti Ecclesiæ Dorrenburgensis SCHAEFFENBERGII filia.

Ab his parentibus, singulari pietate, provifum est, ut filius teneris adhuc annis tam ad probitatem pietatemque, quam ad honesta studia mature & sedulo manderetur: quem in finem ipsi tam præceptorum domesticorum, quam publicorum in scholis institutioni tradidere. Crescentibus annis missus fuit in illustre Gymnasium Ratisbonensium, Poeticum dictum, in quo omnium præceptorum clarissimorum indefessam & fidelem expertus est informationem, & in literis Latinis & Græcis præsertim Dn. M. ZIPPELII, Rectoris & Professoris publici, atque Dn. EVBELHVBERI, iam Conrectoris, quorum prioris etiam lectiones in Historiam, Logicam & Philosophiam moralem habitas, aliasque sedulo & cum fructu auscultavit. A Dn. M. WACKIO, Theolog. Linguar. Oriental.

Oriental. ac Philosophiæ Professore præcepta hausit Theologica, Logica ac Metaphysica, nec non jus naturæ exponentia; Dn. vero M. LINDNERVS, Professor Mathefeos, ipsum publice Mathefin puram docuit, privatim vero Physicam experimentalem ad ductum Physicæ Teichmeyerianæ, & Mathefin denique universam.

Ingenio sic satis ad studia Academica præparato iussu & subsidio Superiorum, habita prius in Gymnasio oratione valedictoria, in almam academiam Fridericianam, quæ Halæ floret, concessit atque ibidem sub Prorektoratu Illustris Icti HEINECCII d. 3. Maii anno 1735. ejusdem civis factus est. In Mathesi & Physica ducem ibi habuit excell. Dn. IOACHIMVM LANGIVM, harum disciplinarum Professore publicum. In addiscendis vero artis salutaris disciplinis pependit ab ore celeberrimorum hujus Prytanei Professorum medicorum, nempe CASSEBOHMII, dextre cadavera secantis, BASSII operationes chirurgicas in cadaveribus humanis instituentis & fasciarum applicationem demonstrantis; IVNCKERI, chirurgiam publice exponentis, Consiliiarii Aulici ALBERTI, Physicam, Physiologiam, & Pathologiam prælegentis, ac denique Consiliiarii intimi Prusici ac Senioris venerabilis, FRIDERICI HOFMANNI, casus clinicos ab exteris ad se missos publice ac elegantissime explicantis.

Verum nostro non diu exoptatos studiorum fructus hic percipere licuit. Morbo enim correptus, cum ipsi ob aeris statum, naturæ suæ contrarium, nulla fere ibi convalescendi spes esset, suasu medici, relicta Hala, in Salanam nostram se contulit, atque eidem, fasces Academicos tenente summe reuerendo Dn. D. IO. IACOBO STRIBIO, SS. Theologiæ Prof. Ord. celeberrimo, die 17. Aprilis 1736. nomen dedit. Sui muneris ratus scholis philosophicis, præsertim autem medicis strenue vacavit, atque ob hanc causam illustres & excellentissimos Facultatis nostræ Professores sibi elegit doctores fidelissimos. Physicas quippe acroases tractavit sub moderamine Consiliiariorum

riorum aulicor. Dn. D. TEICHMETERI & Dn. D. HAMB-
BERGERI. Non minus prioris demonstrationes Botani-
cas atque Anatomicas, sectionemque cadaveris humani in
theatro publice eleganter adornatam vidit. Hunc vero
sedulo sectatus est dextre prælegendem ac exponentem
Physiologiam, Pathologiam, Semioticam, materiam me-
dicam, Chemiam, Chirurgiam, methodum præscribendi
formulas, nec non medendi, ac structuram corporis hu-
mani. Adstitit etiam ipsi spectator industrius, quando
varias sectiones judiciales instituit. His doctrinis instru-
ctus adiit illustris Consilii Aulici & Facultatis nostræ
Senioris venerabilis Dn. D. WEDELII scholas publicas
Pathologico-Semiotico-Therapeuticas solidissimas, atque
ex iis fructus percepit uberrimos.

Cumque Candidatus & me industriæ suæ testem pro-
vocet, bona mente testor, ipsum prælectionum mearum
publicarum tum Physiologicarum, tum Pathologicarum
attentum fuisse auditorem. Laudat præterea manuductio-
nem ad praxin, quam sibi præstitit prænobilissimus & ex-
perientissimus Dn. D. & Consiliarius KALTSCHMIDIVS.

Sic optime exculcto artis salutaris præceptis ingenio,
honores in eadem promeritos summos capeffere consti-
tuit & a Facultate nostra, postquam profectus ipsius duo-
bus examinibus sufficientes & laude dignos cognovit,
promptissime admissus, jam in eo est, ut ad d. x. currentis
Maii ventilet Dissertationem inauguralem *de peripnevmo-
nia ex nimio aeris refrigerio* sub præsidio WEDELIANO.

Huic panegyri ut Magnificus Prorektor, Illustrissimi
S. R. I. Comites, Proceres Aulae & Academiae excellentissi-
mi, omniumque ordinum Hospites & Commilitones no-
bilissimi, gratiosa & amica præsentia interesse dignentur
ac velint, decentissime & officiosissime oro, rogo & in-
vito. P. P. sub sigillo Facultatis. Ienæ d. iv. Maii

M DCC XXXVIII.

(L. S.)

1018

PICA





ndidatorum petiit, in examinibus
itionem suam satis probavit, vt de-
i permiserit, futuro saturni die 15.
inauguralem de vsu atque abusu ve-
nibus exantheticis sub Praesidio
C K II publice defendere. Magni-
um Prorectorem, Patres Academiæ
es omnium ordinum honoratissi-
que Nobilissimos ac doctissimos
nes ea qua decet obseruantia ac hu-
legij mei iunice vt Praefectus C



24
SIMONIS PAVLI HILSCHERI
MEDICINAE DOCTORIS THEORETICES PROFESSORIS PVBL. ORDINARI
SERENISSIMIQVE DVCS SAXO-GOTHANI ET ALTENBVRGENSIS
CONSILIARII AVLICI

H. T.
FACVLTATIS MEDICAE DECANI

PROGRAMMA
DE
VERIS INSALVBRITATE
ET SALVBRITATE IN GENERE

PVBLICAE INVITATIONI
AD
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
DE
PERIPNEVMONIA EX NIMIO
AERIS REFRIGERIO

D. X. MAII MDCCXXXVIII. HABENDAM
PRAEMISSVM.

IENAE D. IV. MAII MDCCXXXVIII.

LITTERIS RITTERIANIS.

